



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

De Absolvitione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

enim erat obscura Christi cognitio, quæ tali tempore prædicat eum esse saluatorem, ac necesse est in animo eius accensum fuisse excel- lens lumen. Audit etiam absolutionem & Eu- angelium, ut fides eius confirmetur. Hæc ipsa conuersio, est inchoatio nouæ obedientiæ, di- lectionis & boni propositi, quæ sunt bona ope- ra. Accedunt & externa opera maximè glo- riosa, inuocatio, & confessio de Christo, quæ contra blasphemias defendit gloriam eius. I- tem confessio peccati.

DE ABSO- LUTIONE.

PRIVATA Absolutio est illustre testi- monium, ostendens in Euangelio institu- tum esse ministerium annunciandi remis- sionem peccatorum multis aut singulis, iuxta illud, Quorum remisistis peccata etc. Appli- cat igitur priuata absolutio singulis Euange- lium, & testatur promissionem ad singulos pertinere, sicut cætera sacramenta sunt appli- cationes, quæ testantur ad singulos pertinere Euangelij promissionem. Quare priuata abso- lutione

DE ABSOLVTIONE. 145

lutione utendum est. **S**emper autem meminimus addendam esse fidem, quæ uerè credat uoci **E**uangelij, quæ nobis applicatur, & annunciat remissionem peccatorum propter **C**hristum, & cum obstrepunt cogitationes illæ, humanam remissionem irritam aut incertam esse, cum solius **D**ei sit remittere peccata, reuocanda est mens ab his cogitationibus ad **E**uangelium. **N**on enim remittit homo, sed **D**eus qui suam uoluntatem in **E**uangelio proposuit, & instituit ministerium, ut promissio ipsius nobis annuncietur etc. **E**t mandauit promissioni credi. **S**ic per ministerium in baptismo remittuntur peccata.

DE CONFES- SIONE.

CONFESSIO quæ fit **D**eo, est ipsa contritio cum fide petente remissionem peccatorum. **D**e hac confessione loquitur psalmus, **D**ixi confitebor aduersum me iniustitiam meam **D**omino, & tu remittis impietatem peccati mei, id est, cum perterrefactus agnosco me esse reum, nec confido mea iustitia,

K 3

tia,